

tate convictus, nisi tantum verba lenta, et somnolenta: Modo, ecce modo, sine paululum. Sed modo, et modo non habebant modum, et sine paululum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuae secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meae, et captivum me duceret in legem peccati, quae in membris meis erat. Lex enim peccati, est violentia consuetudinis, qua trahitur et tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabatur. Miserum ergo me quis liberaret de corpore mortis hujus, nisi gratia tua per Jesum Christum Dominum nostrum?

CAP. VI. PONTITIANUS NARRAT ANTONII VITAM.

Et de vinculo quidem desiderii concubitus, quo arctissimo tenebar, et secularium negotiorum servitute quemadmodum me exemeris, narrabo, et confitebor nomini tuo, Domine, adjutor meus, et redemptor meus! Agebam solita crescente anxietudine, et quotidie suspirabam tibi. Frequentabam ecclesiam tuam, quantum vacabat ab eis negotiis, sub quorum pondere degebam. Mecum erat Alipius otiosus ab opere jurisperitorum post assessionem tertiam, aspectans, quibus iterum consilia venderet, sicut ego vendebam dicendi facultatem, si qua docendo praestari potest. Nebridius autem amicitiae nostrae cesserat, ut omnium nostrum familiarissimo verecundo Mediolanensi et civi, et grammatico subdoceret, vehementer et desideranti, et familiaritatis jure flagitanti, de numero nostro fidele adiutorium, quo indigebat nimis. Non itaque Nebridium cupiditas commodorum eo traxit? majora enim posset, si vellet de literis agere: sed officio benevolentiae, petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus, et mitissimus. Agebat autem illud prudentissime, cavens innotescere personis secundum hoc seculum majoribus, devitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberum, et quam multis posset horis feria-